



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Monitum tertium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

melitanum electæ, ut Deum perfectè cognoscerent & amarent, veluti reverà hic finis est, ob quem creati atque ad istam sacram Religionem vocati sumus.

*Monitum secundum.*

**T**Ametsi aspirationum exercitium efficaciter exultum effectus sit ardentissimæ charitatis & cordis imprimis commoti opus, a quoque tametsi videatur proprium dumtaxat esse illis, qui jam in studio orationis progressus fecere non exiguos: quivis attamen juxta suam studere illi potest capacitatem. Et si verò initio cor illius non multum exciteretur aut inflammaretur, exercitium nihilominus ipsius optimum ac sanctissimum erit. Deinde ubi exercitium hoc porrò continuaverit, efficaciter ad Deum in corde suo se trahi animadvertet, quod proinde quiescere nullatenus poterit, nisi continuo loquatur, unumque se sentiat divinæ suæ Majestati. Quò ubi demum pervenerit, amor ipsius sibi ipsi sufficiens erit, ac idem eximius contemplativus. Hoc est, ubi semel hoc fuerit quis assecutus, nullis amplius indigebit præceptis, aut industriâ occupationis, sive ut materiam habeat, cui intendat; quia temporis successu aspiratio per Dei gratiam ita facilis animæ, ac penè naturalis evadit, ac pulmoni naturalis & facilis est respiratio.

*Monitum tertium.*

**E**Xercitium istud quibuslibet Religiosis imprimè quidem necessarium est, singulariter tamen illi studere debent, qui meditari non possunt, quique exterioribus exercitiis multum



occupantur, qui hoc sancto exercitio refarcire debent modicum tempus illud, quod orationi impendunt mentali; Et quidem experientia comprobatum est, ubi semper cor habent elevatum ad Deum, absque tamen eo quod ab exterioribus exercitiis necessariis desistant, actionibus ipsorum inesse nescio quid divini, quin etiam ex eorum intuitu agendique ratione satis conspicitur, ipsos gubernari à Spiritu sancto. Quoad illos, qui frequenter voluntarias admittunt imperfectiones, in veritate nequaquam dici potest, illos exercitio huic, sive proximè, sive remotè, studere, cum satis manifestò constet, impossibile esse cor ad Deum habere inclinatum, ipsumque tamen eodem quoque momento ab illo abstrahere.

*Monitum quartum.*

**O**Primum factu erit, si illi qui non possunt adhuc multas ex proprio, ut ita dicam, fundo ac peculio, sive, quod ajunt, proprio Marte elicere aspirationes, recursum habuerint ad scripta eximiorum nostrorum contemplativorum, qui rei hujus complura scripsere exercitia, atque ex illis delectum fecerint, eaque sibi velut propria asciverint ac digesserint, quasi ipsi illa suo Marte composuissent. At curabunt eas potissimum aspirationes sibi seligere, quæ verbis paucioribus constiterint, utpote, quæ cordi efficaciter movendo magis esse accommodæ soleant. Et quoniam diversimodæ sunt, aliæ nimirum humiliores, sublimiores aliæ, quilibet eas seliget, quæ veritates atq; affectus continebunt suo amplius statui, gustuiq; conformes.

*Mo-*

*Y. P. Do-  
minici ac  
F. Joannis  
à S. Sam  
psono.*